Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2675
Quelle:
Copyright:

ximil. Transylvani, qui *Carolo* V. Imp. a Secretis fuit, ad *Matth. Langium* Card. Archiep. *Salisburg.* data *Vallisoleti 24. Octobr.* 1522. de Navigatione *Ferd. Magellanis*, quae extat etiam typis *Rom. F. Minitii Calvi* in 4. et *Basileensibus. Cod.* (608) p. 216. habetur Portio *Sermonum* affectorum, cui *Rossii* Possessoris manus praemisit: *Dicunt hos Sermones esse compilatos a Beato Johanne bus in Kralowecz Kastro Tempore regis wenceslai. Cod.* (609) p. 162. invenias brevem Tractatum bohemicum de Cura *Fringillarum*, cujus Autor praecipuus dicitur D. *Zdenko de Maloweez.*

DCCXXIV.

845 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 272. 8. minutissime exaratus Sacros Sermones comprehendit, habitos potissimum Diebus Dominicis et Ferialibus, quamvis etiam quidam in Commemoratione SS. puta *Leopoldi*, *Barbarae*, *Nicolai* &c. dicti sint. Initium ducitur a Dominica Septuagesimae. Quibusdam Sermonibus Orator locum praefixit, quo ad Populum dixit. Ita: *In Laybaco Anno* 1498. *In Sbacz* (Tyroleos) 1496. *In Gottbico* bis, videlicet *die b. Altmanni* et *die S. Martini.* In *Rossacz* et in *Armstarff* seu *Arnsdorf*, quae loca sunt inferioris *Austriae.* Pars Sermonum adumbrata est tantum, non item elaborata.

DCCXXV.

Codex chartaceus lat. Sec. 178
XV. Folior. 221. f. currente calamo partim lineis longis, partim per duas columnas scriptus sequentia complectitur: I. *Enarrationes Epistolarum diebus Dominicis in Ecclesia legi solitarum* a Dominica I. Adventus usque ad Dom. XXIV. post Pentecosten. Interpretatio *bohemica* verbis sacri Textus plerumque superscripta, si non autoris, possessoris saltem patriam prodit, qui etiam inferius nominabitur.

II. *fol.* 146. sequuntur *Sermones II. de Corpore Christi* et *de S. Vito*, quibus adjectum in calce nomen *Rossa* probat, Codicem hunc olim ad Sacerdotem illum *Wenceslaum Chrudimensem* pertinuisse, cujus jam toties mentio facta est.

III. *fol.* 154. Explicatio quarundam vocum difficiliorum, quae in *Evangeliis* et *Epistolis* occurrunt, a secunda manu inscripta: *Vocabularius vtilis pro quolibet Sacerdote.* Incipit ab expositione vocum *Osana*, *Edictum*, *Diversorium*, *Libertini* &c. non levi argumento ruditatis illorum temporum.

IV. *fol.* 172. p. 2. rubro *Incipit glosa super cantica canticorum Orosij.* Initium est: *Postquam a paradisi gaudijs expulsum est genus humanum* &c. Glosa ipsa incipit: *Angelos ad eam dominus, patriarchas ad illam et prophetas miserat* &c. Commentarium in Cantica *Orosio* tributum a *Trithemio*

Eru-